DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS

QUÆDAM DE

FEBRE FLAVA

COMPLECTENS.

DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS

QUÆDAM DE

FEBRE FLAVA

COMPLECTENS;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET
NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS:

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

JOANNES MEADE EQUES,
HIBERNUS,
VALETUDINARIORUM MILITARIUM VICE-INSPECTOR,
SOCIET. VERNERIAN. EDIN. SOC.

.... quæque ipse miserrima vidi
Et quorum pars magna fui. VIRG.

IV. Nonas Augustas, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:
EXCUDEBAT P. NEILL.

MDCCCXIX.

PRINCIPI NOBILISSIMO

ADOLPHO FREDERICO,

CANTABRIGIÆ DUCI,

TIPPERARIÆ COMITI,

BARONI DE CULLODEN,

HANOVERÆ VICEREGI,

ACADEMIÆ ANDREAPOLITANÆ

CANCELLARIO,

PRÆFECTO COPIARUM MILITARIUM CASTRENSI,

NECNON

ORDINIS NOBILISSIMI AURATÆ PERISCELIDIS

EQUITI,

&c. &c. &c.

VIRTUTIBUS OMNIBUS,

QUÆ PRINCIPEM CIVEMQUE EXORNENT,

ILLUSTRI;

HANC DISPUTATIONEM,

MULTA OB BENEFICIA IN EUM COLLATA,

SUMMA OBSERVANTIA,

SACRAT

JOANNES MEADE.

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS

QUÆDAM DE

FEBRE FLAVA

COMPLECTENS.

PRÆFANDA.

FEBRES nusquam et nunquam genus humanum non crudeliter torserunt. Nulla sane valetudinis adversæ genera latius necem disperserunt: nulla medicorum studia potius sibi vindicarunt: nulla vero omnino ingenia magis luserunt. Hinc factum est, longe majorem partem librorum, quos de morbis artis Apollinaris cultores confecerint, ad hoc argumentum gravissi-

mum pertinere. Summos igitur medicinæ honores ambiturus, neque novi avidus, nec spe rei medicæ ditandæ aut ampliandæ impulsus, Febrem Flavam, de qua pauca conscriberem, selegi; sed hanc pestem luctuosissimam cæteris morborum generibus eo anteposui, quod annis MDCCXCVI^to^ et MDCCXCVII^mo^ medico ad legionem vigesimam sextam equitum apud Hispaniolam, insulam istam sole torrido exustam, quam plurimos milites eadem oppressos videre et curare mihi contigerit. In animo est igitur ea præsertim literis mandare, quæ usu ipse didicerim; non sane abjectis alienis, quæ rem propositam illustrare posse viderentur.

Ita vero hanc febrem agitare placuit, ut quædam de nomine et definitione præfatus, deinde ad signa, res insolitas cadaveribus introspectis repertas, causas abditas, et evidentes, signorum rationem, *diagnosin*, *prognosin*, curandique et præcavendi modum, consideranda, transirem.

QUÆDAM

QUÆDAM DE NOMINE ET DEFINITIONE.

Quum nequaquam inter medicos de hujus morbi ortu et natura convenit, aliis alii eum nominibus designarunt, prout cuique placuerit. Ex his præcipua sunt, *Typhus Icterodes*, *Synocha Tropica*, *Synochus Tropicus*, *Causus Endemicus*, et Febris Flava. Hisce vocibus "Febris "flava" uti malo, non quod nihil iisdem sit objiciendum; sed quod notam perinsignem, etsi non perpetuam, insigniunt; usuque satis demum comprobatæ sunt.

Sermone lucido et brevi hanc febrem exitiosam definire facile non est, quippe quam causæ multæ, veluti corporis natura, ætas, vivendi ratio, et quæ sunt hujusmodi, haud parum mutant. Hæcce tamen definitio satis ei accommodata videtur: "Initio Febris ardentissima, signis ce-"rebri, aut ventriculi, aut utriusque, inflamma-"ti, stipata; deinde vomitus niger, cutis flava, "notæque quales *Typhum* graviorem denun-"tiant."

"tiant." Hæcce definitio VOMITUM NIGRUM et CUTEM FLAVAM amplectitur; quod hæc duo indicia, præ omnibus, operam ad hanc febrem dignoscendam conferunt.

DE INDICIIS.

FEBRIS Flava jam iniens non omnes iisdem malis opprimit; quosdam subito, haud secus atque fulmen, alios per insidias, et pedetentim aggreditnr. Initio vires animi et corporis fere languent, interdum in tantum ut anima pene deficere videatur: membra omnia inhorrescunt, sensusque frigoris urget, præsertim circa dorsum. Dolor capitis, dorsi et artuum affligit. Non multo postea, febris vehementer exardet, et summa cutis ubique insigniter calet. Vultus perquam rubet et turget, summamque anxietatem sibi præfert: dolor capitis increscere pergit, initio circa frontem, deinde caput universum cruciaturus. Arteriæ *caroticæ* et *temporales* admodum concitatæ micant; oculi rutili prominent;

aures

aures sonant; sensus acuuntur; æger noctu vigilat, nec raro delirat, ebriumque pene refert. Vires tamen artuum collabi perstant.

Spiritus ægro crebro et difficulter trahitur et emittitur. Motus arteriarum sunt duri, citiores et sæpius validi; aliquando equidem exiles. Suspiria crebra vexant, et dolor capitis præcipue circa frontem ingravescit.

Æger cibos fastidit, sumptosque evomit; vel ab initio, natura biliosa flava aut viridis, interdum quoque cruenta, respuitur. His signis frequenter accedit dolor ventriculi crudelis, manu vel leviter premente auctus; haud sine gravitatis et anxietatis sensu circa præcordia.

Quo magis ventriculus, eo minus cerebrum, quo minus ille, eo plus hoc, inflammationis notas sibi præferunt. Secernenda et excernenda secerni et excerni pene desinunt. Cutis inarescit et arida diu perstat, lingua sordet, initio albida, dein fusca, interdum at rarius madet. Sitis fere non restinguenda, et quæsitissima

cruciat.

cruciat. Alvus pertinaciter astricta vix acerrimis medicamentis solvitur; quod vero descendit, id nigrum est, et præter naturam fœtet; urina redditur præter modum rufa, parca et crassa.

Signa jam memorata biduum triduumve perseverare solent; subinde profecto, at rarissime, sanguinis cursu e naribus, alvi dejectione biliosa, aut sudore leni tepidoque, feliciter solvuntur. Eheu vero! longe frequentissime dirior malorum caterva, fati prænuncia, pede celerrimo invadere cœpit.—Proximum est, ut hanc partem secundam febris propositæ describam.

Nunc igitur omnia mala in melius converti videntur; adeo ut imperitus et inexpertus salutem redituram judicaret. Brevi tamen istæ induciæ in mala nova terrentia abeunt. Oculi flavere cœperunt; deinde facies, tempora. Interdum non oculi, sed cervices aut artus, aut pectora primo lutilescunt, maculæ scilicet aureæ, mediive inter viridem, flavumque coloris, cadaveris propriis haud absimiles, cutem vitiant.

Mens

Mens labitur; infelix modo delirat: hoc tamen perpetuum non est; modo audiendi, videndi et intelligendi facultas deficit. Vultus angorem miserandum exhibet; subinde æger quærentibus rite respondet; artubus simul solutis, motuque pene privatis. Arteriæ concidunt, motu exilissimo digitum impositum feriunt, simulque citiori: spiritus ægre, crebrius et summa anxietate trahitur et emittitur.

Vomitus ingravescere non cessat; quod sursum ejicitur, atrum est, corruptissimum, nec fæcibus *choavæ* absimile: ventriculus sane tam irritabilis est, ut cibi potusque, simul atque ingurgitentur, protinus evomantur. Hoc signum profecto omnium, cute aurea forsitan excepta, præcipuum est. Secernenda et excernenda vitiosa secernuntur et excernuntur: adhuc alvus torpet; si quid dejicitur, id nigrum quam maxime vomitu excretum simulat. Urina parca et crassa fluit; summa cutis sudore gelido madere cœpit; nec autem ubique æqualiter. Lingua fere aret, nigrescit, aut infuscatur, semper fœdissima, etsi modo humeat; hinc sitis non omnes torquet.

Ubi

Ubi hæc mala aliquamdiu plexuerint, alia pejora accedunt. Infelix assidue singultire, et frequenter suspirare incipit. Delirium et stupor increscunt, artus perfrigent, præcordiis simul calentibus. Æger membra inæqualiter dispergit; nec raro lectulo prosilire conari videtur: neque eloqui, nec devorare potest; at voce languida et perobscura edita mussitat.

Usque ad extremum fere spiritum, homo atrum evomere perstat. Demum urina modo penitus supprimitur; alias, animi injussu, sordida et subatra elabitur. Cutis simul maculis purpureis efflorescit, hic illic passim; persæpe sanguis e naribus effluit, pessima nota! Postremo, simul apud omnes membranas *mucosas*, cruor sua sponte, vasis laxatis, profunditur; distentiones nervorum membra frequenter torquent; ægerque tot tantisque ærumnis confectus absumitur.

Jam hanc febrem descripsimus, qualem se exhibet, longe pluribus mortalium, quos implicet. Nihil vero medicinalis ars perpetui

aut

aut certi habet; alios signa inflammationis paulo diutius, alios per breve spatium exercent: non omnibus cutis lutilescit. Denique, prout varient causæ abditæ, corporis natura, et quæ sunt hujusmodi, signa quodammodo mutantur.

Aliquando hæc febris mitior septem dies, vel diutius, traxit; at multo sæpius tertio die, vel ullo tempore inter hunc et quintum ineuntem, ad exitum lethalem properat.

QUÆ INCISIS CADAVERIBUS PATEANT.

NIHIL omnino plus operæ collocavit ad morbos illustrandos, quam absumptorum cadavera scalpello patefacta et introspecta. Neque ullus medicorum jure meliori laurum sibi præripuit, quam MORGAGNIUS, acerrimus ille corporum vitiosorum scrutator. Scire tamen licet hic facile errari posse: vitia scilicet reperta modo causæ, modo effectus morborum sunt; alias corpore mortuo putri nascuntur. Quo fit, ut medici non

raro hallucinati sint, hisce omnibus pro causis injuria habitis. Hoc potissimum de febre flava prædicare licet: multa enim, quæ, febriente emortuo, prodeunt, non sane sedem propriam, vel causam continentem insigniunt; ejus tamen naturæ et signorum rationi haud parum lucis afferunt.

Capite patefacto, cerebri membranæ inflammationis, sæpe ardentissimæ, prægressæ notas sibi præferunt; nimirum, solito rubriores et crassiores esse conspiciuntur: interdum earum vasa eo turserunt, ut sua sponte dirupta sanguinem effudisse repertæ sint. Nonnunquam membranæ omnes, *fibrina* effusa, valde cohærent, vix invicem disjungendæ. Cerebri ipsius vasa identidem ultra naturam intumescunt, sanguineque solito aliquanto atriori. Atria ejus haud raro humore tenui, subinde aurei coloris, scatent. Ne multa, omnes notæ *Phrenitidis* propriæ inveniri possunt.

Ventriculus nunquam non multa, secus atque fert natura, exhibet. Membrana ejus intima,

id

id est, *mucosa*, fere admodum livet, aut nigra est; passim sæpe rosa et exulcerata conspicitur. Intestinum, præsertim tenuius, plus minusve eadem vitia ostendit. Os ventriculi inferius modo præter naturam angustum oculis patet; ventriculi simul faciei interiori sordes nigra hæret; eademque, parte membranæ *mucosæ* vi divulsa, ex vasis diruptis manare comperitur.

Pulmonis vasa persæpe atro cruore plus æquo tument. Conjicio equidem ubique corporis sanguinem saturioris esse coloris, compagisque quodammodo dissolutæ. Venæ *mesentericæ* insigniter fere intumescunt.

Jecur et lien persæpe æquo grandiora apparent: illud fuscum vel croceum, hic mollior, purpureus, et fabricæ quasi dissolutæ sunt: pars concava jecinoris præ altera signa inflammationis sibi præfert. Capsula fellis sæpenumero humore fusco, valde crasso et amaro superfluit: *omentum* inflammationis interdum particeps factum est; modo gangrænæ indicia sibi prætulit.

DE

DE SIGNORUM RATIONE.

PATET ex jam propositis inflammationem viscerum gravissimam febri flavæ subesse; præsertim cerebri, ventriculi et intestini. Hæc inflammatio præsens satis signorum ineuntium rationem patefacit. In animo est igitur hisce duobus potissimum insistere; nimirum, VOMITUI NIGRO, CUTIque FLAVÆ.

De Vomitu Nigro.—Sordes atra, quam æger evomere solet a quibusdam bilis esse corrupta existimata fuit; nec pauci hanc febrem et remittentes omnes ad fel vitiosum et superfluens retulerunt. Haud sane ignoro febre flava implicitos multum bilis evomere: nec vero sequitur hanc nigram materiam eum esse humorem, mutatum et inquinatum. Qualis vero sit, undeque nascatur, paulo fusius hic inquirendum judico.

Quam plurimis absumptorum cadaveribus scalpello introspectis, docemur, acrem istum et subatrum

atrum liquorem, quem prosequor, canali alimenti unico, id est, ventriculo et intestinis, contineri; eundem vesicæ fellis semper deesse; hanc porro modo pene vacuam reperiri; sive non prorsus inanis sit, bilem ipsam sani propriæ similem ei subesse; quinetiam, jecur ægris vomitu quæsitissimo tortis sæpe pene integrum esse, certeve haud multum mutatum; nec raro os ventriculi inferius eo fuisse contractum, ut plane non licuerit, homine adhuc spirante, bili cursu refluo ventriculum petere; hoc ipso simul sorde, de qua agitur, refertissimo. Præter hæc, fel, quantumcunque mutetur, nunquam, quantum scio, nigrescere solet; mistum porro rebus alienis et dilutum flavet aut viridescit. Sordes, quam scrutamur, quoque, secus atque bilis, saporis est pene expers.

Quum igitur constat jecur et fellis vesicam non esse fontes unde nascitur, alium quærendum esse constat. Arterias ventriculi istum humorem profundere, ipsumque esse cruorum minus sanum, hisce perspectis docemur. Imprimis, inspectis mortuorum corporibus, natura atra sordi ejectæ simillima, membranæ intimæ ventriculi

ventriculi hic illic adhærescere inventa est, nequaquam simul admodum viscida: facie interiori ventriculi dein detersa, membrana *mucosa* inflammationis ardentissimæ prægressæ vestigia exhibuit. Huc accedit, non raro membranam jam dictam fuisse erosam; rebusque ita se habentibus, ora vasorum, humore atro turgida oculis patere; denique, si medicus, cadavere secto, arte membranam intimam dilacerat, illico arteriis diruptis eundem profluere, uti jam proposuimus.

De Cute Flava.—Cutis non, jam ineunte febre proposita, at exacto biduo, triduove, paulove serius interdum, flavere cœpit. Aliquando sane, at rarissime, cutis non nisi febriente absumpto, aurescit, et frequenter, si prius color iste apparuerit, post mortem saturior fit. Paucis ostendere nitar imprimis, hoc signum frequentius ex causa duplici oriri: nimirum, felle in sanguinem delato, necnon sanguine vitioso in cavernas telæ reticulatæ cuti subjectæ profuso: deinde, alterutram ex his causis solam subinde cutem rutilare.

Bilem

Bilem in sanguinem deferri, testantur oculi crocei et urina biliosa. Veri est simile *duodenum* et fistulas bilis ductrices *spasmo* rigentia aditum in intestinum felli denegare; quinetiam, molimina gravia septi transversi et musculorum abdominis inter evomendum facere ut multum fellis in venas *hepaticas* refluat; certeve eo intus redundet, ut vasa jecinoris *lymphatica* idem resorbeant.

Fel sanguine circumeunte mistum solam causam non esse hinc docemur, quod oculi non semper primi omnium flavent; sed interdum maculas coloris inter fuscum, aureum et viridem medii, prius cervices, pectora et artus occupasse, quam oculi et reliquæ partes crocea sint facta. Hæ vero maculæ plane ad sanguinem vitiosum et effusum referendæ sunt: ipsa enim *Ecchymosis*, nullo alio malo comitante, persæpe maculas hujusmodi facit. Nec, nisi hac utamur ratione, patet, cur istæ maculæ post extremum spiritum erumpant, latiusve pateant.

Ubi

Uti causarum utraque sæpius, ita interdum alterutra, hoc malum progenuit. Aliquando enim, sed raro, color luteus ex istis maculis incipit, nec oculis aurescentibus, nec urina biliosa. Contra, subinde morbi regii notæ citra maculas extiterunt.

DE CAUSIS ABDITIS.

Siquidem omnia hujusce febris indicia cor, arterias et genus nervosum concitari edoceant, non mirum videbitur, validos, sanguine plenos, juventa florentes, præ aliis, in eundem incidere solitos esse.

Britanni et alii Europæi, qui patrio solo relicto ad Indiam Occidentalem se receperint, longe sunt procliviores ad hanc febrem subeundam quam ibi nati; idque duplici de causa, imprimis, quod noxarum hujus pestis excitatricium adhuc insueti, iisdem impune objici nequeunt; tantum est imperium, quo corpora humana consue-

tudo

tudo premit; deinde, quod pleniores et fortiores esse solent, quam qui totam vitam ab ineunte ætate cœli istos perinsignes ardores subierint.

Hinc porro satis manifestum est, cur pueri et mulieres rarius hac febre conflictentur; quippe quibus natura fibras molliores, nervos mobiliores, viresque minores fuerit largita; quinetiam, quod minus causis excitantibus postea memorandis, scilicet intemperantiæ, cœloque humido, frigido, æstuoso, et vario patent. Simili de causa, omnes ætatem jam mediam transgressi, seniove confecti, tutiores sunt quam adolescentes.

Quinetiam, uti juvenes, obesi, sanguinei et robusti, qui sedes patrias India mutaverint, omnium sunt maxime opportuni; ita luxus omnigenus, nempe, victus lautior, ebrietas, &c. longe propensiores eosdem reddit; nimirum, actionibus corporis interioribus, præter naturam, ciendis.

Afri rarius et levius febre proposita ægrotant quam Europæi et candidi India Occidentali

 nati,

nati, eo quod causarum excitantium sueti impune eas sustinent.

Denique, ex *temperamentis*, sanguineum et *cholericum* maxime febri flavæ patent; ideoque Britanni aliique populi Europæ septentrionalis, magis quam Galli et Hispani: graciles, sicci, debiles, atra bile imbuti, minime omnium sunt propensi.

DE CAUSIS EXCITANTIBUS.

Quum multi auctores, nec parvi nominis, febrem flavam pestilentem esse contenderunt; proposito convenire videtur, ut de ista quæstione, vulgaris nempe grassetur, necne, contagii ope sui similis, aliquanto fusius disputetur.

Virus igitur pestilens non hunc morbum dispergere, satis, superque, uti opinor, jam memoranda denuntiant.

Venenum

Venenum subtile supra dictum quod febres continentes movet, oculos, aliosque sensus penitus latet; quid igitur aut quale sit, nequaquam clare adhuc intelligitur. Instar vis *magneticæ, calorici*, aliorumque istiusmodi subtilium, non nisi effectibus, quos edit, cognoscitur. Hisce autem perpensis, non dubitari potest, quin idem sit natura sedatrix, cerebrum, nervos, omnesque fibras motrices labefactura. Hinc in aprico est, cur febres contagio prognatæ imbecillos et graciles, præ vegetis et plenis, aggredi soleant. Contra, febris, quam prosequor, est præ aliis sanguineos, robustos, vultu roseo donatos, juventa florentes, ideoque Britannos, et Europa septentrionali natos adoriri, simul atque terras æstuosas occidentales attigerint; quo vero aliquis ex his sit validior, minusque solis torridi suetus, eo facilius febricitare consuevit.

Febris flava per eas potissimum orbis terrarum partes grassatur, quas circuli solstitiorum continent, "currui solis nimium propinqui" subjectas; quæ ideo quotidie invicem ardoribus meridianis torrentur, frigoreque et roribus nocturnis

nis refrigerantur; simulque stagnis et agris paludosis inquinantur. Nihil vero notius est, quam cœlum Indiarum calidum contagium pene omnigenum debellare aut certe infirmare. Satis enim constat *Pestem*, *Variolam*, *Rubeolam* et *Typhum* multo magis sævire, multoque esse magis existiosa, apud gentes Europæas, aliosque populos septentrionales, quam Indias accolentes. Pestis sane hosce nunquam invadit.

Febris flava persæpe formam remittentis propriam sibi induit. Qua re perspecta, illam hanc simulare, quod ad causas et naturam, statuere licet; nihil vero magis liquet, quam Remittentes Febres pestilentes non esse. Hic fortasse experimentum perquam singulare meminisse haud alienum erit. FFIRTHIUS, medicus Philadelphianus, vir audax sane ingenii, tantuli iis confidebat, qui hanc febrem pestilentem contendunt, ut suo corpori humorem atrum vomitu ejectum, salivamque et serum sanguinis cuidam febricitanti subducta, arte inserere, simulque duas uncias sordis atræ jam dictæ bibere, non dubitaret; exinde sanissimus.

Quinetiam

Quinetiam, nemo medicorum ignorat contagionem istam febrium, *Pestis, Catarrhi* pestilentis, &c. genitricem quam celerrimo pede, per multas gentes sæpe spargi. Quisnam morborum cursu ocyori disseminatur, quam INFLUENZA? Quis literarum Græcarum haud indoctus nescit, quam veloci penna pestis ista, Atheniensibus olim luctuosissima, uti a THUCYDIDE accepimus, Ægypto oriunda, exinde Asiam Minorem universam petierit, tandemque non ipsius Minervæ arci pepercerit. Febris autem flava rationem habet longe aliam. Nunquam ab extero fonte, gente aut populo profecta esse notatur. Sed quamcunque ex insulis Antillis aut Mexicanis visat, ibi, non aliunde, nata esse observatur. In locis fere palustribus aut uliginosis orta non ad vicina spargitur, si hæc cœlo puro et sicco prædita sint. Plures medici notarunt, si febrientes ad loca excelsa, perflatu arido et salutari donata, advehantur, eorum ministros aliosqne iis quam proximos non febricitare. Notatu porro dignissimum existimo, eos milites, quorum fuerit hac febre ægrotantibus assidere, ministrare, et continenter interesse, rarius in eam incidisse (id quod ipse inter

inter milites in Hispaniola curandos optime cognovi), quippe qui non æstui, frigori et roribus sub dio, id est, causis excitantibus posthac memorandis, objicerentur. Quod si febris flava sit pestilens, istos milites febricitare oportuisset. A medicis accepimus naves Britannicas, multos menses vel annos mari Indico Occidentali circumjectas fuisse, ne unico quidem nauta prius hanc febrem passo, quam littora insalubria, relicta nave, aquam aliaque necessaria quæsiturus, attigerit. Non mirum est nautas, qui, littoribus istis petitis, noctu ibi roribus et frigori, interdiu vehementissimis ardoribus objecti sint ad naves febre flava implicitos rediisse. Illud vero summi momenti judico, febrem nunquam per socios, qui naves non reliquerint, disseminari. Neque ideo pestilens existimanda est, quod complures simul ea plectantur: undecunque enim gignatur, modo causa ejus genitrix tam subtilis sit, tam lateque disseminetur, ut ingentem hominum multitudinem simul corripiat, permulti, eodem tempore, febriant necesse est. Quis medicorum febrem intermittentem et *scorbutum* tabo pestilenti exoriri eo contendit, quod illa milites

omnes

omnes unius legionis proprii, hac nautæ omnes una nave inclusi, simul implicentur.

Quum igitur liquet febrem flavam pestilentem non esse, sequitur ut ejus causas excitantes perscruter.

Usus jamdudum edocuit milites et nautas Europæos ad Indiam occidentalem advectos, inter excubias exequendas, aliaque officia sub dio perfungenda, quæ eos noctes atque dies Jovi pleno subjecerint, maxime omnium in hanc febrem incidere solitos esse. Hinc cœli Indici rationem noxæ excitanti habendam, judicare licet.

Radii solis apud Antillas, Jamaicam, Hispaniolam, si in parietem lateritium aut ligneum meridie incidant, inde reflexi frequenter argentum vivum instrumento Fahrenheitano inclusum ad gradum usque cxxx^{mum} ampliusve attollunt. Persæpe mihimet comperire contigit manui impositæ istos ardores non fuisse tolerandos. Tantum vero calorem non per se febrem flavam moliri

liri ex eo discimus, quod non omnes terræ æstuosæ pariter eadem infestantur.

Paludes et agri uliginosi terris occidentalibus, nimirum, nondum satis cultis, abundant; quod de quibusdam Insularum Antillarum potissimum dicendum. Experientia edocuit, si cui ex his insulis aliqua pars præ aliis solo palustri et humili prædita sit, ibi præsertim hanc febrem sævire: nec reliquas partes ab ea vastari esse solitas; quamquam incolæ omnes ejus insulæ quam intimo commercio et necessitudine invicem nectantur. Si huc accedit, ubicunque Americani et Indi Occidentales agros desiccaverint et excoluerint, et stagna, aliosque auræ impuræ fontes sustulerint, ibi sensim febrem propositam evanuisse (id quod PHILADELPHIANI et NOVEBORACENSES optime cognoverunt) dubitari non potest, quin iste halitns exitiosus, quem *Miasma* vocamus, paludibus scilicet, lacubus, stagnis aliisve naturis pntribus, enatus, causas inter excitantes recte recenseatur.

Uti

Uti paucis igitur absolvam, Febris flava ad eandem stirpem sive gentem (si ita loqui liceat) ad quam Intermittens, pertinere videtur: et aura insalubris, quam retuli, ab ardore meridiano in sublime lata, dein frigore nocturno densata et saturior facta, noxæ excitatrici esse præcipuæ videtur. Frigore et roribus nocturnis istam auram densatam præsertim nocere, et frigus ipsum per se halitu cutis supprimendo, sanguineque intus impellendo, simul magnopere valere, eo mihimet persuadetur, quod plerique militum, quibus febre flava implicitis in India Occidentali medicus præfui, secunda tertiave circiter noctis vigilia conqueri et febricitare cœperint.

At vero nequaquam ea unica causa existimanda. Cœlum ardens ipsum per se operam confert, præsertim uti causa moderatrix, nimirum signa ea cerebri et ventriculi inflammatione laborantium, quæ vetant, quo minus hæc febris speciem Remittentis aut Intermittentis sibi præferat, et ita naturam ejus quodammodo celant, ad ardorem perinsignem sunt referenda. Frigora et rores nocturni, identidem per se, ut

retuli, halitu cutis supprimendo, eodem spectant.

Uti cœlum torridum per se nocet, corde scilicet et arteriis concitandis, et viscerum inflammatione, hujus febris comite, inferenda, ita nosse juvat alias quasdam causas eodem modo auxiliari: quales sunt, ebrietas, satietas, fatigatio, omnis intemperantia; quicquid demum corpus impleat, calefaciat aut stimulet. Neque prætermittere oportet, succos acidulos plantarum, quos Europæi, ubi se ad Indiam Occidentalem receperint, indies ingurgitare solent, huc operam collocare; fortasse, quod efficiunt ut actio jecinoris concitetur, bilisque acrior et copiosior secernatur; et ventriculi robur infirmant.

DE DIAGNOSI.

HUCUSQUE proposito absoluto, sequitur ut paucis exponam, quibus notis hic morbus ab aliis quodammodo ei similibus dignoscatur. Duo

sunt

sunt valetudinis adversæ genera, quæ aliqua ex parte Febrem flavam simulant; nimirum, *Typhus* et *Pestis*.

Jam notavi febrem propositam a CULLENO et aliis, *Typhum Icterodem* vocatam fuisse. Quam alienum et inhabile sit istud nomen, aliquis facile intelliget, si animo volvat, imprimis, febrem flavam pestilentem non esse: deinde cutem non semper flavere: denique, eandem neque initio, neque semper, ex felle resorpto aurescere.

Præter hæc, *Typhus* hæcce febri flavæ distat, quod rarius tempestatibus et locis torridis grassatur; quod hyeme non raro necem latius diffundit; quod præ aliis imbecillos et pauperie marcentes affligit. Hisce rite perpensis, errare non licebit.

Quod ad *Pestem*, quam plerique *Typhum pestiferam* nominant, rarissime vel nunquam terras circulis solstitiorum inclusas populatur: potius Græciæ insulis mari Mediterraneo circumfusis, Ægypto, &c. infesta. *Pestis* quoque propria

pria sunt *carbunculi* et *bubones*. Febris flava jam iniens ardentissima est, notasque viscerum inflammatorum exhibet: contra, pestis frequenter præceps ad fatum ipsum processit, antequam febris evidens exarserit.

DE PROGNOSI.

PROXIMUM est, uti ostendere nitar, quibus signis freti de eventu futuro hujus febris judicemus; quæ nempe spem rediture salutis incutiant, quæ fatum futurum augurentur.

De plerisque valetudinis adversæ generibus prædicare licet, quo plus ægri viribus floreant, eo minus periculi instare; id quod de febre flava nequaquam recte dicitur: quippe quæ non nisi corpora plena et validiora sævissima affligere potest.

Is fere in præcipiti versatur, cui febre aut jam incipiente, aut certe adhuc graviter exardente, vultus

vultus et oculi perquam turgent et rubent; cui caput insigniter dolet, præsertim circa frontem, et delirium urget; (quod tamen non omnibus vel perituris accidit) cui arteriæ dure, fortiter et crebrius æquo micant; alvus pigerrima nec medicamine ingesto, nec liquoribus ei ducendæ idoneis infusis movetur; vomitusque indesinenter torquet. Quanquam delirium infelici notæ sit existimandum, non illico sequitur, tutum esse, cui mens integritate perfruitur. Quidam enim febre vehementer plexi, non omnino delirant, nisi paulo ante spiritum extremum; omnia tamen signa summum vitæ discrimen testantur.

Neque is salvus esse poterit, qui nigrum evomit; cui tendines artuum digito imposito trementes subsilire sentiuntur; cui simul motus arteriarum exilissimi et citissimi fiunt, cutisque flavet. Pejus est croceum colorem initio oculos, os, cervices, &c. inficere, maculis nempe hic illic sparsis, quam summam cutem ubique simul æqualiter aurescere. Illud quoque potissimum observatu dignum opinor, sanguinem e naribus destillantem mortem in propinquo fere semper denuntiare.

Hoc

Hoc signum febri provectiori contingit, ad vasa resoluta, et sanguinis ipsius compagem divulsam, instar macularum, referendum.

Siquidem renixus ille salutaris, qui febres alias persæpe, rigore soluto, et exinde, secernendis et excernendis restitutis, fugare solet, hic ob fibras omnes valde rigentes rarius expectandus est; atque incitatio corporis et viscerum inflammatio quæsitissimæ quam celerrime vires labefaciunt et fabricam partium interiorum diruunt; hinc factum est, perraro ægros salvos esse futuros.

Non vero desperandum, si capitis dolor et anxietas sedantur, si notæ inflammationis cerebri aut ventriculi leviores sunt; si secernenda secerni, et excernenda excerni, viribus non fractis, cœperunt; id est, si cutis leni tepidoque sudore humet, alvusque medicinæ auxiliis cedit, (quod rarius accidit) si denique homo cibos jam appetit et bene concoquit, noctuque somno refecturo fruitur. Lugemus sane, ista perraro evenire confessi.

DE PRÆCAVENDO.

Præceptum illud, "Venienti occurrere morbo," medicis nunquam obliviscendum; sæpenumero id malum nondum ortum præcaveri, aut jam iniens et debile devinci, potest, quod firmatum remediis valentissimis et præsentissimis obnititur, vitæque ipsi perniciem præsentem minitatur. Hinc manifestum est, quanti intersit morborum causas summo studio perscrutari: non enim nisi hisce fugatis vel evitatis, venturi sunt prohibendi.

Quo igitur Febris flava præcaveatur, huic unico consilio insistendum: scilicet, causæ ejus abditæ et excitantes, quantum id fieri possit, subducendæ, fugiendæ, vel arcendæ sunt.

Quod ad causas abditas, plenitudo nimia, earum una et præcipua iis tollenda est, qui jam, Europa relicta, ad Indiam Occidentalem pervenerint. Exinanientibus igitur utendum; sanguis

guis incisa vena mittendus, at aliquanto parcius: alvus purgantibus solicitanda: cibo vescendum, maxime e frugibus confecto: potus omnes meraci aut penitus denegandi, aut si quis eorum quodammodo suetus vix id impune sustineat, quam parcissime concedendi. Hæc fieri oportet, plus minusve, pro viribus, corporis natura, ætate, &c. &c.

Complures medici præparata ex *hydrargyro* ita dederunt, ut humores circumeuntes hoc remedio imbuantur: fereque Europæis inter navigandum, scilicet, qui nondum ad Indiam Occidentalem advenerint, hoc acre remedium adhibere soliti sunt. Præcavere possint, necne, incertus hæreo: si quid juvant, secernenda et excernenda promovendo, et ita corpore pleniore extenuando, opitulari videntur. Iis tamen nequaquam assentior, quibus placet hoc metallum, modo supra præscripto, ministratum aliquid ad hanc febrem urgentem debellandam operæ collocare; quod sane omnino prætermitti malo. Sol meridianus et frigora nocturna vitari debent. Quum vero nautis et militibus id sæpius non licet, corpus

pus noctu, si vigilandum sit sub dio, vestibus laneis obducendum. Conjicio tamen vestem cuti proximam ex panno gossipino confectam plerisque Britannorum jam in India Occidentali habitantibus optime accommodari.

Præter hæc, tepidario frequenter uti multum proderit: quo nihil magis recreat; halitum enim cutis elicit, facit ut sanguis æqualiter ad omnia membra deferatur: sorde cutem summam expurgat, nec parum obesos extenuat. Summi demum momenti habeo, modice et temperate vivendum.

DE CURATIONE.

Nequaquam in animo est omnia medicinæ auxilia, quæ singuli auctores præceperint, fusius literis mandare. Præsertim valentioribus, scilicet, quæ usu ipse profuisse didicerim, insistere consilium est.

Si curandi rationem consiliis exequendis subjicere liceat, quod, natura hujus febris multiplici in animo habita, paulo difficilius est: hæcce proferre satis convenire videtur; nimirum,

I. Febris impetus et inflammatio viscerum quam celerrime debellanda sunt.

II. Signa molestiora consopienda.

III. Viribus, febre inveterascente, succurrendum.

IV. Causæ excitantes, quantum fieri possit, subducendæ.

Omnes hujus febris ineuntis notæ, siquidem genus nervosum, cor arteriasque vehementer concitari, neque raro cerebrum aut ventriculum sævissima inflammatione conflictari testantur, venas vacuefaciendas arguunt. Quamprimum igitur, vena brachii incisa, eliciendæ sanguinis unciæ xx. xxiv. aut xxx. Hoc remedium non solum febrem, incitationem et inflammationem sedabit,

verum

verum etiam istum rigorem inde oriundum, quo ora patula exhalantia et secernentia arteriarum ubique corporis coarctantur, ideoque secernenda et excernenda supprimuntur, laxabit.

Leges sane perpetuas de sanguinis missione ferre nequeo. Si vero inflammatio et febris insigniter exardeant, iterum sanguinis uncias xvi., ampliusve, mittere opus erit, prout ratio virium, ætatis et signorum indicet. Interdum non alienum erit simul hirudines, vel cucurbitulas cruentas parti maxime dolenti imponere. Hisce absolutis, caput ad cutem tondere, et corpus ope tepidarii et saponis sorde penitus expurgare oportebit; deinde ægri nudati capiti affundenda multa aqua *muriate sodæ* imbuta; ita ut madefiant humeri et truncus. Postea summa cute detersa, febricitanti cubandum.

Venis jam satis depletis, alvi purgantia acriora ministranda; quantum usu cognovi, *submurias hydrargyri* et pulvis radicis *convolvuli jalappæ* optime initio conceduntur, cum *sulphate potassæ saccharo*ve albo trita: alvus tam pertinax esse consuevit,

consuevit, fibris nimirum et vasis intestini propter febrem incitatissimam et corpora robusta perquam obrigentibus, ut fere *submuriatis hydrargyri* grana decem singulis vicibus concesserim. Hocce medicamento vesperi ingesto, postridie mane *sulphas magnesiæ, tartras potassæ* vel *tartras potassæ et sodæ* dabam. Vel ingestis *submuriate hydrargyri*, et radici *convolvuli jalappæ*, alvus ducenda, liquoribus mulcentibus tepidisque per anum injectis, quatuor vel sex horis post illud medicamentum voratum exactis. Nulla remedia his utiliora sunt; haud enim nescire juvat, ardores, delirium, et alias notas ejusmodi, magna ex parte alvo tardæ tribuenda esse; certeve exinde plurimum exasperari. Alvi purgatio triplici modo proficere videtur; nempe, sorde acri et irritatura subducenda: sanguine a capite deorsum ferendo, et humorum mole circumeuntium minuenda.

Si, hisce concessis, alvus non probe descendat, iterum dare opus erit *submurias hydrargyri*, iterumque alvum ducere. Quinetiam, aqua frigida etiam sæpius affundenda erit, si incitatio,

tatio, cutis arida, et ardor supersint. Potus diluti, egelidi et aciduli eodem tempore bibendi; de quibus infra disseram.

Aliquando caput ope *emplastri meloës vesicatorii* exulcerandum; præcipue, si delirium, dolor et vigilia perquam torqueant.

Tepidarium, me curante, utilissimum fuit; conjicio sane hodiernos et recentiores hoc valentissimum et antiquissimum remedium æquo minoris æstimare. Multiplici ratione opitulatur: scilicet, facit ut sanguis æqualiter ad omnes arterias extimas feratur; eoque viscera onerata expediantur: cutem porro summam emollit, oraque ejus vasorum hiantia rigore stricta solvit; et ob consensum, quo cutis et membranæ *mucosæ* invicem nectuntur, harum quoque vasa exhalantia laxat: quo fit, ut secernenda et excernenda promoveat.

Ad sudorem quoque eliciendum, quod difficillimum est factu, præparatis ex *antimonio* nunquam, me judice, utendum; ventriculus, scilicet, irritabilis

irritabilis hæc ingeri prohibet: anxietatem, nauseam et vomitum semper exasperant. Potus et fructus acidi et *aqua acetatis ammoniæ* remediis ante dictis rite accedunt.

II. Sitim potu egelido et acidulo fructuumque succis restinguere inter ardores semper utile est; hæc porro remedia aliquando sudorem movent: quod tamen semper perquam difficile reperi.

Vomitus sæpe admodum est molestus. Omnia sane auxilia, de quibus retuli, incitationi et inflammationi sedandis idonea hunc haud parum lenient. Sin minus, bibendus est succus *citri medicæ* et deinde *subcarbonas potassæ* aut *sodæ*, ita ut intus effervescant; pauxillo *tincturæ opii* adjecto: vel interdum pars dimidia grani vel granum unum *opii* concreti utilissimum est. Persæpe *emplastro meloës vesicatorii* circa ventriculum admoto hunc in finem opus est. Modo, febre inveterascente, et vomitu nigro torquente, *spiritus gallicus* et *infusum capsici annui* vomitum insigniter consopiverunt, vires concidentes refocillarunt, et mirum in modum

denique

denique profuerunt: imo vero nonnulli febrientium, qui perituri viderentur, ita curati, desperantibus ipsis medicis, revaluerunt. Exempla tamen istiusmodi rarius accedunt.

Si vigilia nocturna vehementer irritet, nec aliqua ex auxiliis supra comprehensis eandem fugent, ad tepidarium inguinum tenus confugiendum; vel nonnunquam, alvo jam rite expurgata, guttæ xxxv *tincturæ opii* vesperi ingerendæ.

III. Si curatio jam proposita tempestive et acriter adhibeatur, nec febris pessimam sibi formam adsciverit, non raro sequitur, annuente medici ausis Summo Numine, ut salus pede celeri redeat. Eheu vero! longe frequentius impetu febris incitatissimo vires quam citissime labefactantur, et fabrica partium interiorum penitus diruitur. Cum tamen medici est nunquam desperare, ægro adhuc cœli spiritum trahente; proximum est, ut quibus rationibus, jam inveterascentibus malis, cute nimirum flavente, et vomitu nigro torquente, &c. infelici febrienti succurratur, disputemus.

Imprimis

Imprimis notandum, corpus vacuefieri non oportere, nisi medicamentis datis, quæ alvum solicitent: hoc enim cognitu dignissimum est, alvum, vel cute flavente, esse pigerrimam, non antea fluxuram, quam æger pene moriturus sit. Opus est igitur ut dejectionem auxiliis supra comprehensis moliri haud desinamus; maximeque, alvum crebro ducamus. Nemo artis medicæ peritior ignorat vires lapsas exinde insigniter erigi; ideoque alvi purgationem, febre provecta, factam satis accurate ad consilium tertium referri. Si vomitus medicamenta præcipi et retineri non sinat, iterum, sic ut jam (II.) memoravi, consopiendus erit.

Cortex *Cinchonæ officinalis* nunc ita præcipiendus, ut quam minime ventriculum prægravet. Medicum omnia ex eo præparata subinde experiri, et id demum cæteris præponere oportet, quod ventriculo irritabili optime convenire videretur. *Colomba*, cortex *Croti eleutheriæ*, radix *Gentianæ luteæ*, flores *Anthemidis nobilis*, et alia ejusmodi, quoque experienda. Vinum recte iis accedit; nec raro *aromata* et pauxillum *opii* adjicere juvat: dummodo

modo caveatur ne *opium* alvum tardet: *acidum citricum* prius, deinde *subcarbonas sodæ* aut *potassæ* bibenda sunt, statim post corticem *cinchonæ officinalis* sumptum; quo minus hic nauseam moveat. Hoc usu juvisse comperi; quinetiam ubi *cinchona* concreta ventriculum offendit, pulvis ejus et *carbonas magnesiæ* cum aqua sunt conterenda; deinde liquor colandus, colatusque dandus. Siquidem febris flava magna ex parte Intermittenti et Remittenti affinis est, autumo corticem *cinchonæ officinalis* in hasce omnes eadem potestate, id est *specifica*, valere: quod si in febrem flavam minus prosit, hoc visceribus graviter affectis aliisque abnormibus hujus morbi propriis tribuendum est. Fateri equidem cogor, longe sæpius neque *cinchonam officinalem*, nec alia refocillantia aliquid opis nunc demum polliceri; partim, quod vires penitus labefactantur; partim, quod gula et ventriculus officia solita exequi posse desierunt.

Nemo medicorum ignorare debet, aquam frigidam corpori affusam, vomitu nigro et cute flava jam confirmatis, exitiosissimam esse; nunquam

 alicui

alicui hac febre laborantium, inter hæc, opitulatam fuisse; multosque, qui, eadem prætermissa, fortasse revaluissent, cita morte multasse; quod mihimet novisse obvenit.

Potui nunc aptissima sunt, modo supersit vorandi facultas, *cerevisiæ* fortiores, aliique liquores *acido carbonico* imbuti, et succi fructuum. Spuma *cerevisiæ*, quam vernacule " Yeast" nominamus, præ facultate, qua prædita esse videtur, putredini obstandi, apud multos permagni existimatur. *Spiritus gallicus* quoque et *infusum capsici*, ut jam retuli, sæpe juvant.

Opium autem et vinum cæteris incitantibus longe præpollent; præcipue vinum rubrum Lusitanicum vel Madeiranum. Huc bene adjicitur *camphora* vel *carbonas ammoniæ*. Nec desunt alia ejusmodi, levioris sane momenti.

Præter hæc, conclave, ubi habitat æger, perflatum accipere debet; summaque mundities servanda, vestibus et stragulis sæpius novatis, et urina stercoreque sublatis.

IV.

IV. Denique, opus est, ut ægri quam celerrime, locis palustribus et gravibus relictis, ad sicca et puriora vehantur; noctuque et interdiu eidem temperiei, si fieri possit, objiciantur; qualem nimirum gradus circiter LX^mus aut LXV^tus instrumenti Fahrenheitiani indicet.

Inter revalescendum, causæ omnes excitantes fugiendæ; alvus quotidie descendere debet, aut victu aut medicamentis id molientibus. Cibus dandus, qualis facile concoquatur, et satis alat; præsertim e frugibus confectus. Indies citra fatigationem, ardoribusque meridianis et roribus nocturnis evitatis, hominem exerceri oportet.

Simul atque milites revalescentes eo vires receperint, ut iis dimoveri, iterque facere impune liceret, me judice, navem (quali nostrates pro valetudinario utuntur) conscendere, et aliquamdiu, maribus septentrionalibus petitis, circumnavigare eos oportebit. Quod ipse, usu doctus, utilissimum comperi. Anno enim MDCCXCVII^mo, Hispaniola relicta, et Trinidadam iturus, quo legio militaris, cui medicus præfui, viro percelebri

lebri Radulpho Abercrombio equiti conveniret, jam convalescentes omnes, ad eam legionem pertinentes, in navem accepi; qui, ubi prope ad Insulam Bermudam accesserimus, valetudine fere integerrima perfrui cœperunt.

Vix dubitari potest, quin hi ipsi, si in Hispaniola mansissent, in *dysenteriam* vetustam, inflammationem jecinoris *chronicam*, et dirum hydropem ventris incidissent: quod experientia doctus certissimum esse propono.

FINIS.